Nuncia quò lætô ferret Pastoribus ore.
Atque hoc dum fieret, totus formidine coetus
Pastorum trepidat, sed nuncius Angelus inquit:
Solvite corda metu: Vobis annuncio læta,
Læta futura omni populo, dum natus is ipse,
Qui proprio redimet mortales sanguine, Christus.
Ite proinde citi, vicinæ ad mœnia Bethles
Invenietis ibi puerum non murice strato,
Non recubare toro, sed per præsepia ferri,
Et rigido in fœno cannaque jacere palustri.
Cui chorus Aligerum juvenum respondit ab alto,
Per nubes volitans, lætum pæana canendo:
Gloria summa DEO summo! pax candida terris!
Humano generi sit toti prona voluntas!
Indeque deproperant, Bethles cunabula quærunt,
Inveniuntque Dei sobolem cum Virgine Matre
In stabuli curis, vili fœno recubantem.
Tum nato referunt puero pia munera laudis,
Atque omni populo dive miracula narrant.
Et ne tanta Dei bonitas ignota maneret
Auroræ populis, stellam Deus inserit astris,
Quæ notet ipsa viam nati ad cunabula Regis
Ebrææ gentis, duce qua properabat Eous
Ut precibus natum coleret vel munere Regem.
Hinc Solymam petiit, quam verbis terruit istis,
Dum Regis pueri stellam vidisse fatetur.
Sed, Solymam fugiens, ubi stella lucebat eadem
Ingreditur hilaris peregrina mœnia Bethles,
Quæsitum reperit tanto conamine gressus,
Atque novum Regem veneratur poplite flexo,
Aurum, Thus, Myrrham, Regique, Deoque, Hominique

Virginis